

De utero in partu rupto : dissertatio ... / auctor David Arrott.

Contributors

Arrott David.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Berolini : Typis Augusti Petschii, 1831.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/awr428j2>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Ed 3.14

R32839



Digitized by the Internet Archive
in 2015

To,

John Ferguson Esq^r

with the Author's best Wishes

DE
UTERO IN PARTU RUPTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA-GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVIII. M. MAII A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

DAVID ARROTT,
SCOTUS.

OPPONENTIBUS:

E. S. ANDREJEWSKY, MED. DRE. RUTHENO,
FRANC. KOTTENKAMP, PHIL. DRE. GERMANO,
ULR. PALMEDO, MED. DRE. ANGLO MELITENSI.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

LIBRARY
COLL. REC.
MED. EDIN.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

RESEARCH REPORT

NO. 100

BY

J. J. THOMSON

AND


W. H. WILSON

CHICAGO, ILL.

1924

P A T R I

FILIUS.



Anterioris saeculi factum est initio, ut qui obstetriciis versarentur, ad uteri rupturam animum converterent; quorum qui primus hocce malum accuratius observaret, et observatum deinde ac melius expositum literis mandaret, inter Helvetos vir doctissimus exstitit *Hallerus*. Quomodo quum morbus innotuisset quoniam omnia, quae ad medicinae qualemcunque pertinent disciplinam, summa studii nunc quidem perscrutentur alacritate, quia Physiologiae etiam atque Anatomiae scientia nostra laetissimo quotidie gaudet incremento, quorundam annorum spatio multi fuerunt qui exemplorum proderent numerum haud exiguum, morbique ipsius indolem et naturam multa sagacitate explicarent et exponerent. Malum vero tam gravis est naturae, ut rarissime tantum incidere jure nobismet ipsis gratulari liceat; quum casus enim omnes hucusque cogniti calculo subducerentur, inter partus noningentos quadraginta semel tantum gravidas infestavisse apparuit.

Quodsi morbi definitionem experiamur, nomine etiam indicante, inde repetendam esse conspicimus, quod uteri parietum cohaesio diffrangitur; quod vero ad mali naturam pertinet accuratius explicandam, quia magis infra latius exposituri simus, silentio hic loci praetereamus.

Causas quidem, quae obnoxiam huic malo, antequam irruat, mulierem efficiant, sive causas praedisponentes, duabus in corporis conditionibus sibi oppositis sitas esse, e casibus memoriae traditis manifestum est; una quidem parte e corporis habitu nimis robusto nascitur et validō, altera vero e debili mulieris constitutione, fibrarumque exiguis viribus oriri potest. Quodsi foemina validiori praedita est corpore, musculis inter parturitionem fortius agentibus, neque justa virium servata relatione, fibrarum connexus interdum vincitur et superatur; quum vero inter parturitionem in mulieribus etiam debiliter constitutis, miro modo uterus strenuissime agat, hac quidem rerum conditione, ut uteri tela diffrangatur accidere potest. Quoniam autem in corporibus, quae neque praeter modum viribus abundant, neque nimia fibrarum infirmitate laborant atque irritibilitate, inter virium actionem atque renisum justum servetur aequilibrium; foeminae etiam ita constitutae malo huic gravissimo haud multum sunt obnoxiae. Praeter hasce ipsius corporis constituti vitiosas condiciones, uteri etiam atque appendicum constructio atque dispositio a justa bonaque norma decedentium, ad causas praedisponentes referenda esse videtur, singularum quidem partium habitum vel situm intelligo, qui quin infans exire possit impediunt; qualia sunt scirrhus, vel uteri cervicis caeterae indurationes; uteri deinde positus huc pertinet naturae minime consentaneus, unde inter pelvis axem infantisque caput relatio tollitur et commutatur; vaginae etiam nimia angustia, et tumores ei innati, pelvisque denique nimis arcta hisce adnumeranda est extensio, sive corporis ipsius constructioni ingenitae, sive ossium morbis, rachiti quidem, exostosi atque osteosarcomati sit tribuenda.

Sunt etiam uteri conditiones quaedam, quae, quum muliere parturiente, parietum in vehementiorem musculorum agitationem renisum diminuunt, rupturae ansam et occasionem praebere possint. Quo quidem si uteri parietes imperfecte sunt expliciti referendum esse censemus, quod vitium congenitum esse iudicatur. Secundum *Salmuthi* deinde sententiam, totius parietis extenuatio huc itidem referenda est, cujus rei exemplum Dr. *Rofs* nobis praebuit (Ann. Med. V. III. p. 277) abscessus etiam uterique purulentas emolitiones, rupturam secum trahere posse nihil dubitamus; gangraenam quoque, qua foemina quum de scala decidisset affecta jaceret, eundem effectum exhibuisse *Behling* testatur (*Halleri* Disp. Chirurg. Tom. III. p. 477). Quas causas modo enumeravimus praedisponentes, a matris quidem habitu vitioso ad unam omnes proficisci apparet; saepissime tamen, imo plurimis in casibus, e foetus denique ipsius praeter normam magnitudine, posituque ejus atque deformitate, naturae nequaquam consentaneis, repetendas esse conspicitur: e. g. quod si infans aut hydrocephalo aut hypertrophia nimis amplo praeditus est capite, quum ad lucem tendat, fieri potest ut uterus rumpatur.

Causis praedisponentibus jam expositis ad ea progrediamur explicanda, quae malum arcessere arbitramur, quae quidem causarum nomine excitantium appellare liceat. Per parturitionem omnia quae incidunt uterique rupturam secum trahunt, ad vehementiorem musculorum contractionem, tunc quidem agentium, praecipue vero in utero concitatorum, referenda esse censemus. Quod si varias de periodo, qua uterus musculis induitur, hic loci exponeremus sententias, sive de uteri musculorum natura, utrum

pro eadem atque in caeteris organismi partibus, habenda sit necne dissereremus, ab illo quem nobis proposuimus libelli finem, nimia discederemus digressionem; quum vero nihil dubii jam exstet, quin foetus musculorum actione tunc temporis validissima expellatur, quum uteri deinde rupturam maxima ex parte inde proficisci, quod quin juste agant impediantur, satis manifestum sit et cognitum, consilio nostro nequaquam alienum esse credimus, si de eorum dispositione structura et actione hic loci pauca disputemus.

Viros inter omnes Anatomiae atque Physiologiae peritos *C. Bell* utrumque optime exposuisse videtur, cui quum saepius occasio praeberetur, qui in foeminarum uteros, et ante partum et infante edito animum converteret, uteri etiam rupturam, actione musculorum efficiente, bis observasse testatur.

Si gravidarum uterum inspicias, naturam prae se ferre musculosam distincte et accurate facile cognoscas; fibris autem musculorum singulis vario modo una in alteram implicitis, nexum earum atque decursum summa tantum extricabis difficultate. In uteri partibus externis et in latere positis fibrarum decursus certas leges atque regulas omnino fere desiderat; circa fundum vero fibrae circuli similitudinem maxima ex parte patefaciunt, quum oris regione oblongam speciem magis exhibeant. In interiore etiam fundi superficie musculus se animadvertisse circularem *Ruysch* affirmat, quam vero sententiam veritati minime congruere suspicamur, quum musculorum potius quendam tubarum ora Fallopiarum circumdantium, concentricaque directione dispositorum, quos quidem *Guilelmus Hunter* primus postea animadvertit ac descripsit, ille conspexisse videatur. *Bell* (Anat.

of the Human Body Vol. III.) fibrarum fasciculum descripsit circularium, quae quum e musculorum, quos modo memoravimus, centro originem ducant, vertiginisque speciem initio prae se ferant, ad uteri deinde os descendunt, lataeque formam taeniae accipiunt. Idem auctor partem systematis in utero musculosi, notatu dignissimam, quam inter omnes utilitatem summam praestare conspiceret, in virorum qui Anatomia versabantur oculos nunquam antea incidisse affirmat. Fasciculum intelligit, qui supra uteri fundum stratus extenditur, cujus quidem fibrae ex una parte in alteram transeunt, oppositarum interstitiis inseruntur. Quo modo quum utriusque partis fibrae inter sese connectantur rotundis uteri conjunguntur ligamentis, quae vero ligamenta nequaquam constituere suspicatur, sed musculorum potius, de quibus sermonem fecerat, tendinibus consistere existimat.

Quibus musculi muneribus funguntur, ad aliena pertinent ex utero removenda; quod quidem optime perficere quum propter eorum structuram conjicere liceret, tum experientia etiam satis cognitum est atque comprobatum. Uti verò quae ad oeconomiam animaleam referenda sunt omnia, praeter primum atque praecipuum, alterum etiam secundariae naturae munus perficere soleant, ita quidem fibrarum unamquamque, parturitione procedente, summi momenti alias functiones exhibere conspiciamus. Fibras enim invicem sibi implicatas et intextas, quibus certam dispositionis legem desiderantibus uteri parietes efficiuntur, vasis quidem quae in maternam placentae partem sanguinem infundant, inter minutas reticuli maculas transitum praebere observatum est. Quod si placenta ab utero separatur, vasa illa oribus apertis

exponentur necesse est, quum vero fibrarum tela tunc quidem contrahatur, vasorum oribus compressis atque clausis, quin sanguis se effundat impeditur. Rem ita se habere uteri patefactum est sectione, quum contrahendi viribus nondum destitutus esset; vasa enim majoris adeo ambitus, quoniam propter fibrarum contractionem oribus recludebantur, in oculorum conspectum tunc incidere non potuerunt; quum musculis autem relaxatis, qua antea extendebantur latitudine, rursus sibi vindicarent, musculorum nonnisi contractionem ora vasorum astrinxisse satis superque demonstratum est. *Ruysch* quum in interiore fundi superficie musculum circulaarem sese observasse opinaretur, placentam ab utero eum separare suspicatus est; quum vero *Guilelmus Hunter* in fibrarum positus accuratius inquireret, tubasque Fallopianas circumdare animadverteret, harum quidem functionibus adjumentum potius addere sententiam proponere licebat, quae quamquam veritati magis congruere nobis videatur, neque tamen nihil dubii reliquisse affirmabimus. Musculus deinde cujus descriptionem *Bell* exhibuit quem etiam de modo memoratis ad uteri os descendere demonstravit, una cum altero, qui per internam uteri superficiem simili directione extenditur, munera sua praestare videtur; quorum contractione quum os uteri ad fundum propius accedat, summi momenti vices in foetu expellendo utrumque obtinere manifestum est. Idem auctor fibrarum munera divergentium, quae de rotundis ligamentis oriri affirmat, eo spectare censet, ut parturitione incipiente in pelvis ambitum uterus detrudatur, unde infantis capite pelvem versus justa bonaque directione collocato, ne detrimentum inferat aut accipiat providetur. Quo modo cumque res sesa habet,

si fibrarum situm atque directionem inspicias, in infante emittendo, postquam os uteri dilatatum est, summi momenti partes musculum illum suscipere, facile videbis.

Quae quidem jam exposuimus, inter parturitionem uteri actiones physiologicas constituunt, quae si contractione atque relaxatione bono ordine invicem sibi succedant, neque cum aliis oeconomiae animalis discrepant functionibus, ut e naturae legibus partus edatur, optime succedit; at si causarum praedisponentium, quarum mentionem antea fecimus, quin munera illa bene perficiantur, quaedam impedimento sunt, tunc quidem processus illius natura malum invitat, de quo in dissertatione nostra disputare nobis proposuimus. Eandem fere explicationem *Bell* exhibuit, quum ruptura cur cervicem multo frequentius, quam alias uteri partes infestaverit, causam exponeret. „Musculum” inquit: „dum „agat viribus increcere haud ignoramus; relaxatum „vero eadem ratione majore etiam laborare constat „imbecillitate; unde cur inferioris tantum uteri partium ruptura semper invadat, explicare licet. Inter „uteri enim contractiones vehementissimas, relaxatione etiam opus est atque dilatatione, ne capiti „infantis, quin ad lucem prodeat, obstaculum afferatur. Relaxionem vero ita factam imbecillitate non „nisi consistere judicamus.” Quae quamquam imbecillitas partem omnino necessariam parturitionis constituat naturaeque consentaneam, inter uteri tamen pressionem atque renisum alienam introducit relationem, quam utriusque actionis consensum tollere et remove, uterique lacerationem invitare supra memoravimus, quum de causis quae mulierem huic malo, antequam irruat, obnoxiam efficiunt, ser-

monem faceremus, quas quidem omnes violenti etiam modo musculos distrahere, actionesque vehementer spasmodicas secum ducere, facile intelligitur. Casus vero memoratu dignissimi, quos quum illust. *Bell* describeret, observationi ejus modo recitatae occasionem praebuerunt, quum e matris tum infantis etiam vitiosa pependissent corporis constitutione. Uteri enim rupturam bis observasse testatur; primo quidem accidit ut infantis caput, hydrocephalo affectum, nimiam latitudinem exhiberet, unde uteri os pervadere nequiret; rupturae deinde alterius, quam ut inspiceret scriptori nostro contigisse videmus, matris habitus accusandus erat, quum nimia os uteri rigiditate laboraret et angustia. *Halleri* Disput. sup. cit. *Müller* casum memoravit, sententiae nostrae minime pugnantem, quem auctor ille quum satis luculenter exponeret, tum acumine etiam atque sagacitate, multum praestitisse nobis videtur. Infante obliqua versus pelvis axem directione collocato, uterum caeterosque musculos, qui parturitionis vicibus funguntur, violentissime agitari conspicimus, atque dilatationi cervicis imbecillitatem succedere observamus: dum itaque una parte musculi virium continuo capiant incrementum, altera vero renitendi facultate debiliores destituantur, vehementius prementibus denovo ceditur, uterique cervix ruptura diffrangitur. „In hoc casu” *Müller* inquit „uteri axis totumque „orificium ejus patent supra orbitam pelvis supremam, ita ut foetus dolorum vi et impetu necessario impellatur cum tribus capitis sui partibus in „ipsum uteri parietem oppositum, residua tertia „parte capitis dimovendo ossi, cui insistit impensa. „Caput foetus” dicere pergit „supra marginem ossis pubis sinistri protuberat, ita ut uterum in eo

„loco sursum elevet et trochleae adinstar inserviat fibris
„supra eandem dirigendis. Quantum igitur uteri pars
„ea, quae ultra foetus caput est, ab axi ob eminentem hunc tumorem recedit, tantumdem fibrae dicti
„lateris, urgentibus denuo doloribus, plus extenduntur, dum ex situ rectilineo coguntur expandi in curvilineum, eruntque dictae fibrae distractae a mutuis nexibus in ea ratione, quae est arcus ad chordam, et cum omnis distractio fibrarum producat debilitatem in iisdem, ideo hinc quoque, memoratae fibrarum debilitati accedente omni momento premente a tergo vi, continuo crescet fibrarum debilitas.”

Quas uteri rupturam invitantes causas exposuimus, lectoris animo brevibus iterum obducere nobis liceat. Omnia quidem efficere arbitramur, quae parturitionis processui rite evolvendo, impedimenta constituunt, posituque pelvis et infantis oriuntur naturae haud consentaneo, vel mala aut matris aut infantis existunt formatione, vel morbosa utriusque conditione proficiscuntur. Ruptura deinde de causis etiam alienis pendere potest, quae uterum intempestive excitantes, spasmodicam postea secum ducunt musculorum contractionem. Omnia denique mali illius occasionem praebere conspiciamus, quae aut totius uteri systema aut singulas ejus tantummodo partes immodice excitent debilitentque.

Naturam mali atque indolem anatomicam simplicissimam esse observamus, quum illam uteri partem, quae summae pressionis atque dilatationis vehementiae, maxime obnoxiam esse appareat, cervicem inquam, imprimis infestare conspiciamus. Fissura vero nunquam imperfecta, abdomini etiam communis est. Qua igitur cum tela quae uteri parietem constituit dilaceretur, quodsi infans nondum

pervaserit et in abdomen penetraverit, partium margines separatarum, rei cujusdam vi discerptae, neque aequali modo disjunctae similitudinem patefaciunt; si vero contrarium accidit, tela illa, utero contracto, aequali modo semper dividitur, incisionisque cultro institutae species exhibetur. Transversam deinde directionem laceratio semper obtinet, quia uterus impetu facto, in longum minus quam transversum cedere pronus est. Quod ad vulneris magnitudinem pertinet, vario modo extenditur; quum vero si tela semel cesserit, exiguae tantum vires, quibus foramen augeatur, sufficient: majori creberime uterus dirumpetur longitudine. Per totam etsi uteri superficiem, ita ut cervix corpore separetur, fissura nunquam extenditur, saepissime tamen tam late vulnus hiare observatum est, ut qua in abdomen penetrare possit via infanti patefieret. Ruptura deinde tunc quidem reclusa, eodem modo atque parturitione desinente, contractiones uterum perficere, cadaveris sectione apparuit; si vero quum totum infantis corpus pervadere nequeat, ex parte fissurae inhaerescat, quin vices suas musculi obtineant, impedimentum constituitur.

Praeter uteri cervicem vaginam quoque ruptura discindere potest, neque tamen quod antea suspicati sunt, saepius hac regione accidere solet; in fundo denique, tubarum exitibus Fallopiarum, aut circa placentam, locum suum obtinuisse rarissime hucusque observatum est.

Quae abdomine etiam continentur, in uteri vulnus incidere possunt, quo quidem deinde contractione astricto, illius partis quae intraverit strangulatio efficitur.

Inter partes utero circumjacentes, vesicam quo-

que urinariam, ita ut manum ei immittere liceret, laesione detrimentum accepisse constat; intestino deinde recto etiam dilacerato, accidit, ut faeces per vaginam ejicerentur.

Signa et symptomata quae uteri rupturam comitantur, duo in genera dividere proponamus, quorum quum priori malum imminere moneamur, altero jam accidisse indicatur. Quod si prioribus observatis, causarum quandam praedisponentium extitisse suspicemur, ne ad rei discrimen perveniatur, summopere cavendum est.

Rupturam vero proximam adesse nobis suspicari liceat, quando doloribus uterum strenue afficientibus, quae ad partum rite efficiendum requiruntur, non animadvertenda sunt; quin uterus enim ore latius extendatur, rigiditas atque durities illius renitentur. Aegrotata deinde angoribus affecta, animo distrahitur et turbatur, uterique de doloribus, quibus lacerationis sensus exhibetur, conqueritur vehementissimis. Si magna etiam dilatatione nondum effecta, liquorem Amnii profluere animadvertitur, ne quid uterum prohibeat timore afficiaris, quo minus res alienas sibi insitas vehementiore extrudere possit musculorum agitatione. Infantis denique, praeter normam solitam, parte proveniente, quo malum imminere indicetur, summa certe diligentia, ne quid mater detrimenti capiat, medicum curare oportebit. Ut brevibus dicamus, si qualiscunque generis obstacula, parturitionis processui inter musculorum contractionem rite evolvendo extitisse cognoverimus, caute semper atque circumspicte, ut malum removeatur providendum est.

Malum accidisse inde conspicias, quod in eo temporis momento, quo tela laceratur, rem quandam in corpore ipsius loco cecidisse, sensu mulier affici-

tur, dolorumque deinde laborat vehementiorum incremento. Sonitus quoque singulari modo editus, et ab aegrotā interdum perceptus, in eorum imo, qui praesto aderant, aures incidisse traditur. Quod si vulnus tam late hiat, ut in abdomen infans penetrare possit, pars illius quam tactu antea dignoscere licebat sensibus subducitur et aufertur, dum mulier contractionibus nonnunquam convulsa jaceat musculorum vehementissimis. Si vero caput infantis in pelvem descenderit partus dolores, naturae legibus destitutos, sensim sensimque desinere observatur. Quum abdomini etiam externo digiti admoveantur, partium infantis singularum speciem atque positum tangendo interdum bene percipias atque distinguas. Postquam uterus ruptura discissus est, atrii coloris saniem vomitu mulier ejicere incipit; genis deinde collabentibus, livido facies obducitur pallore, pulsuque debiliter tremulo, sanguinem in arteriis micare vix animadvertimus. Diaphragmate denique efficitur vehementissime convulso ut mulieri anhelitum velociter ducente, quum spiritus modo deficiat, tum majore etiam impetu modo erumpat. Quibus nisi foemina destituatur symptomatibus, quum majore semper vehementia augeantur, alia etiam quae mortem proprius accessisse demonstrant, succedere observamus. Mente enim maxime disturbata, mulier lecto jacet omnino inquieta; vomitu deinde crebrius incidente, ventre intumescit corporisque refrigeratur extremitatibus; frigido denique sudore emisso, mortem brevi adfuturam esse indicatur.

Inter omnia quae in uteri rupturam inquirentibus offeruntur, sive pathologiae omnino rationem habeamus, sive optimaē medendi methodo inde extricandae operam nostram navaverimus, summi certe
momenti

momenti disputationem exhiberi, nullus sane extiterit qui dubitarit, qua quidem quas causas lethalem mali finem invitare existimabant, in lucem prodere et illustrare conabantur. Primo loco, quod si muliere e justis naturae legibus parturiente quantopere vires exercentur consideremus; si ruptura deinde imminente propter summam actionis vehementiam praeter normam increcere nobiscum reputabimus: conditionem illam quae sustineatur graviolem, aegrotae minime convenire facile intelligitur. Dum partum edere uterus contendit, quum inter caetera totius corporis organa magnitudine emineat, tum viribus etiam validiorem prae omnibus vitae muneribus vires praecipuas obtinere videmus, atque totius machinae salutem animalis a functionibus illius rite perficiendis pendere conspicimus. Quo igitur si temporis momento qualecunque detrimentum accipiat, totius vitae nexus atque conditio summopere disturbetur necesse est, quod quidem neque alia corporis parte vulnerata evenisse constat, neque uteri ipsius malo quodam alias irruente, accidere manifestum est. Si vulnerum quae subito inflictis majore etiam ambitu extenduntur, rationem habeamus, an majus minusve periculi discrimen offerant, inde quidem, quod aut primas aut secundas vitae partes organon obtineat sauciatum, pendere intelligitur. Vulneris deinde habitum et extensionem, quibus mortiferum fiat, haud parum valere experientia comprobavit; quod si impetu denique majore vulnus imponatur, fortunam imminere constat maxime accipitem. Quibus quidem omnibus quum uterus dividatur incidentibus, gravissimam certe naturam malum nostrum exhibere nihil dubitabis; vulnus enim tam late hiare, ut infans in abdomen penetrare pos-

sit, jam antea memoravimus; muliere deinde parturiente summi momenti vicibus uterum fungi modo exposuimus; majore vero impetu discindi inde colligendum esse videtur, quod symptomata quae enumeravimus omnia, statim irruere animadvertitur. Sunt etiam, qui vasa sanguinea dirupta nervosque magnis vulneribus discissos vitae periculum adducere opinentur; quae res si ita sese habeat, neque in utero lacerato utrumque desiderari neminem fugerit. Si quidem inter uteri rupturam atque vulnera quae alio modo sunt inflicta, comparisonem instituere velis, quando missili, vi pulveris tormentarii impulso, miles percussus est, quum magnam externa specie vulnus utrumque similitudinem patefaciat, tum impetu etiam eodem, totius organismi consensum destruere ac subvertere judicabis.

Inter omnia quae vulneris discrimen secum trahere exposuimus, impetus violentiam maxime valere arbitramur, unde igitur, si confestim aegrota pereat, causam repetendam esse censemus, quod vero quum nece rarius statim superveniente haud saepius accidere soleat, alia etiam, quibus mulier diem obeat supremum, nequaquam deficere observantur. Vasorum enim parietibus discissis, quum nimiam sanguinis jacturam aegrota fecerit, postquam infans deinde in abdomen penetraverit, vel liquor Amnii intempestive sit effusus, inflammationes exinde natas mulierem corripere necesse est. Quibus deinde si accedit, ut rectum etiam vel vesica detrimentum acceperit, vel abdominis intestinum quoddam fissura stanguletur, mortem tunc a foemina defendere labore saepius contensurus es frustaneo. Si summi momenti vasa sanguifera in utero discindi consideres, sanguinis etiam nimia jactura foeminam moriri

posse conjicias; quod vero quum medicorum libros evolventibus nusquam expositum inveniatur, tum rarissime etiam aut nullo omnino tempore, ita accidere judicamus. Neque enim magnam sanguinis copiam effundi arbitramur; nam infante in abdomen elapso, quum uterus e justis naturae legibus rursus contrahatur, quum vulnus deinde tanto quidem impetu sit illatum, ut totius organismi vires summo-pere confestim remittantur ac decrescant, cordis igitur actione inde diminuta, sanguinisque circulo multum debili et invalido: haemorrhagiam non incidere posse majorem, satis clarum est atque perspicuum, quod in vulneribus etiam laceratis, idem evenire animadvertitur. Neque tamen omnino non fieri posse affirmabimus; si enim infans fissurae inhaerescat, quia utero rite contrahendo obstaculum inde afferatur, sive vulnus non admodum extensum, minore etiam velocitate sit inflictum, sanguinis quidem tantam copiam effluere posse concedamus, ut ad summum periculi discrimen perveniatur. Rarissime vero certe evenire manifestum est. Cadaveris sectione instituta, peritoneum etiam inflammatione affectum esse apparuit, quam de rebus ex utero abdomini immissis (foetum quidem, Amnii liquorem sanguinemque intelligo e vulnere profluentem) profectam esse nihil dubitatur; quae enim quum corporum effectus alienorum exhiberent, quamquam vires quae reniterentur, atque vasa statui inflammatorio idonea constituerent, propter totius vitae depressam conditionem, non admodum valuisse manifestum est, nihilominus tamen sufficebant, quae vehementissima aegrotam affligerent inflammatione, unde letho citius irruente mulierem ocubuisse constat. „Unoquoque „in casu” *Burns* (Princip. of Midwif. p. 462) in-

quit: „quem ut inspicerem hucusque mihi contigit, „inflammationem magnam intestina corripuisse ob- „servavi.” Quae quum viribus admodum diminutis, maxime asthenicam patefaciat indolem ac naturam, remediis etiam antiphlogisticis aegrotam succurrere nequeas. Abdominis vero intestina vulnere incidere, rarius observatum est. *Frizel* (Transact. of the Coll. of Phys. in Dublin. Vol. II. p. 15), qui quum instrumentis adhibitis infantem protraxisset, manum utero inseruit, majore cervicis vulnere intestinum inhaerere tactu sese cognovisse memoriae tradidit. *M. Keever* vaginae pariete divisa intestinum quoddam, quod nullo modo repellendum, ne gangraena quidem destruendum esset, quatuor et dimidio pedibus e vulnere prominuisse narrat. Quod igitur si rupturae alias etiam perniciosissimae accedat, quum vulneris contractione confestim sequente, quin intestinum reprimatur impedimentum extiterit, ejusdem naturae malum atque in hernia strangulata exoriatur necesse est, unde quum totius corporis conditio deterior adeo evadat, gravissimae etiam naturae inflammatio proficiscitur. Vesicae denique vel recti etiam laesione, quod uteri ruptura damnum dederit, multum augeri memoravimus, quod si utrumque organon solum tantummodo vulneratur, vitae tamen nihilominus periculum adducitur. Urina enim in peritoneum effusa, talis quidem vehementiae inflammatio excitatur, ut nihil fere arte sua Medicus proficiat. Rupturam vero fundo inferiori incidentem, quamquam effusio in abdomen non sequatur, fistulae tamen exoriuntur gangraenosae, unde lento febris hecticae decursu aegrotae vires conficiuntur. Si rectum quoque sauciatum sit, eundem effectum exhiberi intelligitur.

Ex omnibus quidem, quae de mali ipsius natura disputavimus, quae deinde una incidere posse exposuimus, pauca certe gravidas infestare posse apparet, quae et majoris periculi discrimen secum ducant, et medicorum artem, quae remediis succurrat et obveniat, tantum eludere ac frustrari queant: nihilominus tamen vires naturae ipsius medicatrices tantum valere, atque corpus humanum quodcunque damnum sibi illatum tam mirifice restituere posse conspicitur, ut uteri rupturam non semper lethale malum esse compertum habeamus, quum et arte et natura mors, quae immineret, ab aegrota defenderetur. *Powel* (Med. Transact. Vol. III.) casum memoriae tradidit in quo, quum uteri cervice discissa, aegrota viribus tantum destituta esset, ut alcohol a muliere sumpto quo minus vires omnino evanescerent impediretur, nihilominus infante verso atque capite instrumentis comminuto, in valitudinem imo foemina est restituta. Sectionem Caesaream bono successu saepius institutam esse narratur; *Baudelocq* e. g. ob eandem causam bis in eadem foemina factam esse memorat, quod illust. *de Graefe* hac in urbe felicissime evenit. Diarium quoddam Franco-Gallicum casus nuperrime mentionem fecit, ubi duodecim jam horis post rupturam irruentem praeterlapsis, quum sectionis periculum fieret Caesareae, eventus tamen felicissimus evaderet. *Essays Phys. and Liter. evolventibus* casus descriptio exhibetur, quem quidem, quum dictu incredibilem in modum natura reniteretur, nisi virorum testimoniis firmatus esset fide dignissimorum, veritati minime congruere judicares. Utero enim, una cum abdominis tegminibus laceratis, postquam infans imo fissuram est perlapsus, aegrota ex morbo nihilominus convaluit. Saepius adeo

res accidisse fertur, ut variis de causis, vires naturae medicatrices malum illud vel maxime perniciosum, vincerent ac superarent. Quod igitur quum satis certum sit ac cognitum, si ad curandi modum convertamur, primo quidem, quando arte sua medicus subveniat videndum est; quod si temporis momentum extitisse intellexerit, mali decursum perniciosum remediis inhibere studeat. Rarius certe evenire solet, ut ope tua nihil omnino infante proficias removendo. Post rupturam incidentem multo jam tempore praeterlapso, aegrotaeque viribus aliquantum restitutis, si inflammatione abdomen haud affectum esse apparuit, agendi partes naturae tantummodo initio derelinquas. Quum vero, postquam et infans et placenta in abdomen transierint, horas quasdam praeterlapsas esse oporteat, quum utero deinde contracto, exiguae tantum irritationis symptomata exhiberi necesse sit, rem potius mente tibi cogitabis, quam casum hujusmodi re vera incidere conspicias.

Infantem et appendices duobus modis remove potes; sive sectionem instituas Caesaream, sive via naturali utrumque in lucem protrahas, quam quidem methodum priori praeferendam esse manifestum est, quoniam paucae tantum inveniuntur foeminae, quae vulnus tam extensum, quod sectione Caesarea requiritur, si utero accedat lacerato, perferre atque sustinere queant. Quoniam os uteri, antequam malo gravida infestetur, latissime plerumque pateat, per uteri fissuram manus abdomini immittenda est, quae pedibus infantem apprehendere conetur; quos deinde si manu teneas eodem modo, atque si ruptura non adesset, in extrahendo foetu tibi agendum est. Rem vero celerrime perficias, ut uteri contractione statim sequente, nimiae sanguinis effusioni obveniatur. Post-

quam placenta denique exierit, manus iterum immit-
tenda est, ut nullam intestinorum partem vulneri in-
haerescere pro certo et comperto habeas. Si quidem
rupturae vulnus in uteri cervice, quod vulgo acci-
dere solet, situm obtineat, nisi contractio confestim
superveniat, extractio ita facillime et optime succe-
dit; at si fundo lacerato os qualicumque de causa
non extenditur, quoniam uteri pars illa, quae inter
os atque fissuram locum obtinet, vehementissime
convellatur, viam naturalem infanti reclusam esse
conspicimus, quod ex mala etiam pelvis formatione
idem accidere videmus. Quod si res ita sese habeat,
aegrotam omnino naturae derelinquas, aut incisionis
Caesareae periculum facias. Quia conditiones au-
tem, quibus natura sola felicem eventum polliceatur,
rarissime aut nunquam adfuturas esse supra expo-
suimus, quia sectionem deinde Caesaream optime
saepius successisse, experientia satis comprobatum
est ac cognitum, quin morte imminente partum ita
in lucem depromere coneris, consilio nunquam hae-
sitare debes. Illo vero temporis momento, medicus
sine mora rem aggredi jubetur, quando post ruptu-
ram incidentem, quum infantem adhuc vivere obser-
vatur, tum abdominis intestina inde concitata multum
agitari conspicitur. Quodsi sectionis exsequendae
consilium ceperis, majore difficultate quaestio exhi-
betur, an aegrota, propter uteri rupturam maxime in-
firma et invalida, in alterius etiam vulneris discrimen
adducenda sit, quo enim quum totius vitae conditio
summopere deprimatur, melius fortasse usque eo
praestolaberis, quando vires ruptura amissas, syste-
mate renitente affatim restitutas esse apparuerit. Si
vero cunctando rem differas, quem incisione finem
assecuturus es, omnino removeri et auferri potest;

quia corpus enim alienum peritoneo, quo minus muneribus rite fungatur obstaculum constituat, irritatione illa quidem, cujus arcendae causa sectionis fit periculum, aegrotata maxime afficitur, et viribus deinde aliquantum restituta, eo majori etiam corripitur inflammatione. Quoniam malum igitur utrumque medico evitandum sit, aut majoris periculi rationem habeat aut minoris; quod ad summam rerum pertinet, abdomen incidendum vel citissime aggrediatur; si vero quum mulier convulsionibus distracta jaceat, vel alia mali ominis symptomata ediderit, tam parum valere conspiciat, ut vitae periculum imminere manifestum sit, tunc quidem sectio Caesarea usque eo proferenda est, quando virium amissarum paululum aegrotata recuperaverit.

Si fortuna tam secunda gaudere liceat, ut gravidas malum nostrum subituras esse, signis magis supra memoratis divinare possimus, tunc summo quidem virium molimine agendum est, ut si quae extitisse cognoverimus symptomata, priusquam damno mulieres affecerint, causarum singulae removeantur. Si musculorum nimia contractione uterum laborare animadvertitur, narcoticis remediis atque convulsioni renitentibus, aegrotatae subveniendum est, quae quidem medicamina aut ore sumpta, aut per anum injecta et immissa, agitationis vehementiam diminuunt. Si infans denique deformitatem aliquam exhibeat, sive positum in utero obtineat naturae minime consentaneum, sive pelvis etiam praeter justas bonasque leges sit formata et constructa, quae quidem omnia quin foetus via exire possit naturali, impedimenta constituere antea disputavimus, ut ad lucem partus provenire queat, instrumenta medicis in subsidium vocanda sunt.

Instrumentis vero intempestive vel imperite adhibitis, uteri etiam ruptura interdum invitata est: quum vero hujus rei expositio, ab illo fini, quem libello nostro proposuimus, nimia digressionem nos abduceret, medicos tantum moneamus, si quis instrumentorum usus requiratur, ne malum quod declinare studeant, imperitia sua efficiant et invitent.

Postquam mali indole ac natura satis exposita atque illustrata, curandi modum descripserimus, casus cujusdam singuli, quem observasse nobis contigit, historiam exhibentes, libello nostro finem imponamus.

Mulier quaedam circa XL annos nata, viribusque haud parum valida, partu difficilius semper procedente septem infantes in lucem ediderat, quorum tres quum mortui provenissent, septimus tamen vivus prodiit ac validus. Quae foemina postquam partus doloribus est correpta, quum medicus in auxilium vocatus, parturitionem haud multo vehementem, a naturae legibus differre initio animadverteret, per decem deinde horas insequentes, summopere auctam, justo bonoque modo procedere conspexit; quum vehementissimis denique doloribus, qui quinque minutarum intervallis redeuntibus aegrotam excruciant, multum laborasse appareret: duabus horis ita praeterlapsis, membranas rumpi ac discindi, et Amnii liquorem profluere observavit, dum uteri ore admodum extenso, infantis caput tactu percipere liceat ac dignoscere. Sine ullo deinde intermissu parturitio increscens, nihil tamen infantem qui descenderet, adjuvabat. Quum aegrotam hanc quidem conditionem per quinque horas sustinisset, postquam dolores ad summum fastigium sunt eveci, quia lacerationis sensu mulier affecta est, rupturam incidisse suspicandum erat, quod doloribus deinde subito de-

sinentibus viribusque apparuit summopere depressis. Caput etiam infantis quod antea dignoscendum erat, tactui est subductum; ab aegrota deinde atrii coloris sanie ejecta, pulsuque debiliter tremulo, spiritus semper anhelitu emittebatur vehementissimo. Viribus denique magis adeo diminutis, pulsuque velociore atque exiguo, quum octo horae post rupturam incidentem praeterlapsae erant, quanquam alia renisus symptomata nequaquam patefierent, vita sua mulier defuncta est. Quum sectionis Caesareae periculum faciendum esse proponeretur, mala animi pertinacia defunctae consanguinei quin fieret prohibebant. Aegrius imo permiserunt, ut abdominis parietes post mortem incisione aperirentur, qua rupturam incidisse certiores fieremus. Priusquam vero institueretur, quum abdomen spectaremus, maxime intumuisse apparuit; digitos deinde admoventibus, laevo latere infantem positum jacere cognoscendum erat, cujus partes etiam maxime prominentes tactu optime distinguebantur. Abdomini inciso, fluidum quoddam sanguine tinctum effundi observavimus; foetum deinde, qui quatuordecim librarum enorme pondus exhibebat, una cum funi umbilicali membranis ac placenta, ab utero omnino divisum atque separatum, abdominis visceribus interpositum esse animadvertimus. Lucis claritate admodum exigua, aliisque rebus cadaveri accuratius inspiciendo parum faventibus, quatenus spectanti cognovisse licuit, peritoneum etiam irritationis signa patefacere neminem fugit. Uterus vero omnino contractus solidi cujuscunque visceris similitudinem exhibuit, digitos deinde rimae difficiliter inserentibus, cavum vix animadvertendum erat.

Infantem optima ratione alias formatum, enorme tamen pondus exhibuisse memoravimus; quum igitur

caput ejus nimis amplum fuisse appareat, quod matris pelvem, quae solita tantum extensione patuit, pervadere potuisset, quin causa malum invitans remota, ex nimia repetenda sit infantis magnitudine, nihil dubitandum esse judicamus. Quae mortem causa attulerit, impetus quidem vehementiae, qua lacerationem irruere demonstravimus, tribuenda esse videtur. Quoniam utero enim discisso parietes confestim rursus contrahi verisimile esset, quum multa haemorrhagia aegrotam haud laborasse conjiceremus, tum abdomine etiam inciso, quia sanguinem perpau- cum effundi appareret, sententia nostra confirmata est. Neque vero magnae inflammationis signa, antequam mulier obiret patefacta sunt; at viribus sum- mopere destitui, ac totius vitae conditionem magis magisque pejorari, in omnium sane qui adessent oculos satis certum atque manifestum incidebat. —

CURRICULUM VITAE.

Ego, DAVID ARROTT, Calvinisticae confessioni addictus, Scotiae natus sum in oppido, quod Aberbrothwick nominatur et in comitatu Forfar situm est, parentibus optimis GUILIELMO ARROTT et MARIA e gente BALFOUR, quos adhuc vivere et vigere admodum laetor. Postquam in oppido nativo literarum primis rudimentis imbutus sum, quum scholam quae viro doctissimo FERGUSSON ibi floruit directore, frequentarem, lingua utraque antiqua instructus, nec non ad ceterarum quae ad disciplinam liberalem pertinent, rerum scientiam conductus sum.

Anno deinde Domini MDCCCXXV^{to} aetatis vero XVII^{mo} ut studia et operam in Medicinam collocarem, in Universitatem Literariam Edinensem me contuli, civiumque numero academicorum adscriptus sum. Ubi quum morarer scholis etiam interfui, quae a Sociis Regii Chirurgorum Collegii hac in urbe habentur. Viros qui sequuntur hic audivi disserentes: KNOX de Anatomia humana et comparativa, HOPE de Chemia, SYME de Chirurgia, THOMSON de Pathologia et Therapia speciali, MILLIGAN de Mat. Med. Pharmacia, Physiologia et Medicina theoretica, MACKINTOSH de Arte obstetricia. Artem cadavera rite dissecandi KNOX me docuit. Nosocomium etiam Regium frequentavi, et

praelectionibus clinicis a RUSSELL et BALLINGALL ibi habitis tunc temporis interfui. Spatium trium annorum ibi moratus, antequam domum redirem, coram Chirurgorum Collegium supra memoratum examini me subjeci, quo superato, Chirurgiae publice exercendae licentia in me collata est. Domum reversus, aegrotis curandis per duos annos versatus sum. — Berolinum deinde iter instituti, ubi viros illustrissimos MITSCHERLICH de Chemia, RUDOLPHI de Anatomia, RUST de Chirurgia, ECK de Physiologia, BECKER de Thoracis Morbis, discentes audivi. Cura etiam illustr. RUDOLPHI et SCHLEMM exercitationibus versatus sum anatomicis. Operationes chirurgicas in cadaveribus instituere SCHLEMM me docuit.

Jam vero tentaminibus et examine riguroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi Medicinae et Chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Causa morbi proxima morbus ipse est.

II.

Inter hominis rationem et animalis instinctum non-nisi quoad gradum existit differentia.

III.

Musculus sphincter os uteri circumdat.

IV.

Intentione prima, quatenus fieri potest, vulnera sunt sananda.

THE HISTORY OF THE



